



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Cornelii Cvrtili Cæsarei Consiliarij et Historiographi
Ordinis Eremitarum S. Avgvstini S. Nicolavs Tolentinvs
alijque aliquot eiusdem Ordinis Beati**

Curtius, Cornelius

Antuerpiæ

15. Piacularibus flammis addictæ animæ eum sibi apud Deum patronum
expetunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37243

Postillâ in alium aliumque locum Superiorum mandato ablegatus, tandem sacerdos ab Antistite Auximano inauguratur. Mactus tantâ dignitate, vix credi potest, quanto opere piorum Manibus, quos ignes piaculares cruciarent, suffragari studuerit. Certè pretium operæ non exiguum fecisse, illæ ipsæ animæ testes palàm gratulatæ sunt.

Degebat non procul à Pisauro in Eremo, quam *Vallimamentem* vulgò dicunt: ubi nocte præcedente Dominicam illam, quâ juxta morem in cœnobia receptum, hebdomadarii sacerdotii munus inchoare jubebatur, audivit ejulatum cujusdâ, miserandum exclamantis; NICOLAE frater respice in me. NICOLAO autem aures arrigenti, & erigenti oculos; demùm, quis, quid se vellet, roganti, reddidit ille. *Ego sum anima Fratris Peregrini Auximensis, quem in vivis probè novisti, cruciorq; in hâc flammâ. Purgatoriis enim pœnis misericorditer à Deo deputatus, qui aternas merueram, tuis sanè*

I 4.

Sacerdotio initiat.

I 5.

Piacularibus flammis addictæ animæ eū sibi apud Deum patronum expetunt.

XII
36 c

precibus ac Missæ sacrificio liberari poterò, si tu hoc charitatis officium præstare volueris. Cui NICOLAUS: Adjuvet te Salvator meus, cujus sanguine redemptus es. Ego enim qui ad summum sacrificium solenniter faciendum hoc præsertim Dominico die, cujus officium mutare non licet, deputatus sum, Missam pro defunctis celebrare non possum. Tum ille; Veni, inquit, venerande Pater, & vide; num te deceat precibus tantæ tamq̃ miseræ multitudinis à quâ missus sum, assensum negare, meq̃ miserum tam inhumaniter repellere. Et jam ad alteram eremi partem manu eum ducens, jubet in subjectam vallem despiciere, atque fumantes ignium purgantium fornaces oculis suis arbitrari. Vidit porrò NICOLAUS confusam illic omnis ætatis & ordinis innumeram multitudinē supplices manus tendere, & patrocinium ejus apud Deum piis lacrymis implorare. Somno tam molesto solutus vir Dei, reliquum noctis quod superabat, expiandis Manibus inter preces gemitusque transcripsit: die verò luce-

lucescente ad Priorem adiit, eique de visis quidem ignibus nihil, (ne gloriolæ vanæ fumus aliquis inde surgeret) sed animarum in purgatorio luentium vota insinuat, rogatque demisso animo, ut sibi liceat hebdomadam illam pro defunctis facere. Cœnobiarcha quâ

16.

erat erga mortuos pietate, non gravatè annuit, & qui sacerdotem eâ septimanâ ageret, succedaneum alterum nominavit. NICOLAVS ergo ad aram pro illis, quos piaculares flammæ habebant, quot diebus operatus est; quot noctibus preces fudit cum lacrymarum tam denso imbri, ut totum pænè suppliciorum purgantium ignem extinxerit. Certè Fratris Peregrini anima, omnium aliarum, quæ ex inferno carcere ad cælum ascenderant, legatione functa, ad NICOLAVM rediit, suoque & sociarum nomine gratias ei maximas dixit pro patrocinio.

Sed plusculum ei laborandum fuit, ut consobrinum suum *Gentilem* ab æternis suppliciis expediret. Is in *Monte-Apponi* (oppidi nomen

A 7

est)

Eorum multò maximam partem à suppliciis absolvit.

17.
Ab inferni poenis consobrinum suum eripit.